

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones  
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

**Augustinus, Aurelius**

**[Reichenau ?], [14. Jh.]**

Sermo XCVII

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)



pudor humanus. & alia sunt bona quae portate non potest paruus sensus humanus; ista sunt in corporibus impudicis. illa remota sunt a corporibus uniuersis; hoc in pura carne committitur. illud pura mente uox certatur. Renouamini ergo spū mentis uestrae & intelligite quae sit uoluntas dī. quod bonum & beneplacitum & perfectum. ut in caritate radicati & fundati. possitis comprehendere cum omnibus scīs quae sit longitudo. latitudo. altitudo & profundum. Cognoscete & iam super eminentem scientiae caritatem xpī. ut impleamini in omnem plenitudinem dī. isto enim modo uos docebit spūs scīs omnem ueritatem. cum magis magisque diffundit in cordibus uestris caritatem.

### INCIPIT SERMO XCVII DE EADEM RE.

**S**pūs scīs quem promisit dñs se discipulis suis esse missurum qui eos doceret & omnem ueritatem. quam tunc quando cum eis loquebatur portate non poterant. de quo spūs scīs sicut dicit apostolus. nunc pignus accepimus. quo uerbo intellegemus eius nobis plenitudinem in uita alia reseruari. ipse ergo spūs scīs & nunc docet & fideles quanta quisque potest capere spiritalia. & eorum desiderium magis accendit si quisque in caritate proficiat. qua & diligit cognita & cognoscenda desiderat. ita ut ea quoque ipsa quae nunc quomodo cumque cognoscit. nondum se scire sciat sicut scienda sunt in euita. quam nec oculus uidit. nec auris audiuit. nec in cor hominis ascendit. quo sciendi modo si nunc ea uellet interior magister dicere. id est nostrae menti aperire atque monstrare. humana infirmitas portate non possit. Unde me uestra dilectio meminit iam loquutum. cum scī euangelii uerba tractaremus. ubi dñs ait. Adhuc multa habeo uobis dicere sed non potestis portare modo; non ut in his dñi uerbis nescio quae secreta nimis abdita suspicemur. quae cum dici a docente possint. portari a discipulis non possint. sed ea ipsa quae in doctrina religionis in quorum libris hominum notitia legitur & scribimus. audimus & dicimus. si uellet eo modo nobis xpīs dicere. sicut ea dicit angelis scīs in se ipso unigenito patris uerbo patrique. coaeterno. quinam portate homines possent. & iam si iam essent spirituales quales adhuc apostoli non fuerunt quando eis ista dñs loquebatur. qualesque postea ueniente scō spūs facti sunt. Nam utique. quidquid de creatura sciri potest. minus est ipso creatore. qui summus & uerus & immutabilis dī est. & qui eum tacet. ubi non a legentibus. disputantibus. quaerentibus. respondentibus. Laudantibus. cantantibus. quo quomodo sermocinantibus; postremo ab ipsis & iam blasphemantibus nominatur. & cum eum nemo tacet. quis est qui eum sicut intellegendus est capiat. cum de oribus



& auribus hominum non recedat. quis est cuius acies ad eum mentis ac-  
cedat. quis est qui eum esse trinitatem scissit. nisi ipse sic innotescere uo-  
luisse. & quis hominum iam istam silet trinitatem. & tamen quis homi-  
num sicut angeli sapiat trinitatem. ea ipsa ergo quae de di aeternitate ue-  
ritate scitate in promptu & palam sine cessatione dicuntur. ab aliis bene.  
ab aliis male intelliguntur. immo ab aliis intelliguntur. ab aliis non intelli-  
guntur. qui enim male intelligit. non intelligit. ab eis ipsis autem a quibus  
bene intelliguntur. ab aliis minus. ab aliis amplius mentis uiuacitate cernun-  
tur. & a nullo hominum sicut ab angelis capiuntur. In ipsa ergo mente.  
hoc est in interiore homine quodam modo crescitur. non solum ut ad cibum  
a lacte transeat. uerum & iam ut amplius atque amplius cibus ipse sumatur.  
Non autem crescitur spatiosa mole. sed intelligentia luminosa. quia & ipse  
cibus intelligibilis lux est. ut ergo crescat. eumque capiat. & quanto magis  
crescat. tanto magis magisque capiat. non ab eo doctore qui uestris auribus  
sonat. hoc est forinsecus operando plantat & rigat. sed ab eo quidam incre-  
mentum praesertim ac sperare debetis. proinde sicut praesertim sermone com-  
monui. caute maxime qui paruuli estis & adhuc alimentis lacteis indige-  
tis. ne hominibus sub hac occasione deceptis. ac deceptoribus. quia dominus ait.  
Adhuc multa habeo uobis dicere sed non potestis portare modo. aurem  
curiosam praebetis ad incognita scienda. cum mentes in ualidis habeatis  
ad uera & falsa diiudicanda. maxime propter obscenissimas turpitudines  
quas docuit satanas animas instabiles atque carnales. adhuc deo sinente ut  
eius ubique sint tremenda iudicia. & in comparatione impure nequitiae  
dulcescit purissima disciplina. atque ut illi de honorem. timorem autem  
uel pudorem sibi qui in illa mala uel illo regente non cecidit. uel illo inde  
leuante surrexit. Caute timendo & orando. ne inruatis in illud aenigma  
salomonis. ubi mulier insipiens & audax inops panis effecta. conuocat  
praeter euntes dicens. panes occultos libenter attingite & aquae furtivae  
dulcedinem. haec enim mulier uanitas est impiorum. cum sint insipi-  
entissimi aliquid se scire opinantium. Sicut de ista muliere dictum est.  
inops panis efficiatur. quae cum sit inops panis. promittit panes. id est  
cum sit ignara ueritatis. promittit scientiam ueritatis. Occultos tamen  
panes promittit. quos dicit libenter attingi. & aquae furtivae dulcedi-  
nem. ut ea scilicet libentius & dulcius audiantur & agantur quae palam  
in ecclesia dici credique prohibentur. ipsa quippe occultatione condunt  
quodam modo nefarii doctores sua uenena curiosis. ut ideo se existime-  
nt aliquid discere magnum. quia meruit habere secretum. & suauis



hauriant insipientiam. quam putant scientiam. cuius prohibitam quo  
 dam modo furantur audientiam; hinc & nefarios ritus suos hominibus  
 sacrilega curiositate deceptis uel decipiendis. magicarum artium doctri  
 na commendat; hinc illis illicitae diuinationes inspectis pecudum uisceri  
 bus occisorum. aut uocibus. & uolati-bus auium aut signis multiformib;  
 daemonum insusurrantur auribus hominum perituro- rum per conlo  
 quia perditorum. propter haec illicita atq; punienda seer&a mulier illa  
 non solum insipiens. uerum audax & iam nuncupatur; sed haec non solum  
 a re ipsa. uerum & a nomine nostrae religionis aliena sunt; quid quod haec  
 mulier insipiens & audax sub xp̄iano uocibulo tot scelestas hereses condidit.  
 tot nefandis fabulis finxit. utinam tales quales in theatris siue cantant  
 siue saltantur. siue in mimica scurrilitate ridentur. & non quisdam tales  
 quales aduersus d̄m fingere potuisse sic illam doleamus insipientiam ut  
 miremur audaciam. Omnes autem insipientissimi her&ici qui se xp̄ianos  
 uocari uolunt. audacias figmentorum suorum quas maxime exhorre  
 sensus humanus. occasione euangelicae sententiae colorare conantur.  
 ubi dñs ait. Adhuc multa habeo uobis dicere sed non potestis portare mo  
 do. quasi haec ipsa sint quae tunc discipuli portare non poterant. & ea  
 docuerit sp̄s sc̄i. quae palam docere atq; praedicare quanta lib& feratur  
 audacia xp̄s erubescit in mundo. hos apostolus in sp̄u sc̄o praeuidens  
 ait. erit enim tempus quo sanam doctrinam non sustinebunt. sed secun  
 dum desideria sua magistros sibi coaceruabunt prurientes auditu & ueri  
 tate quidem auditum suum auertentes ad fabulas. si autem conuertentur.  
 illa enim seer&i furtaq; commemoratio qua dicitur. panes occultos liben  
 ter. it tingite & aquae furtiuae dulcedinem. pruritu facit audientibus  
 in auribus spiritaliter fornicantibus. sicut quodam pruritu libidinis & iā  
 in carne corrumpitur integritas castitatis; audite itaq; apostolum talia  
 praeudentem & ea uitanda salubriter ammonentem; profanas inquit  
 uerborum nouitates euita. multum enim proficiunt ad impietatem. & ser  
 mo eorum sicut cancer serpit; & non ait uerborum nouitates. sed addidit.  
 profanas. sunt enim & doctrinae religionis congruentes uerborum noui  
 tates. sicut ipsum nomen xp̄ianorum quando dici coeperit scriptum est;  
 In antiochia enim primum post ascensionem dñi appellati sunt discipuli  
 xp̄iani. sicut legitur in actibus apostolorum & xenodocia & monasteria  
 postea sunt appellata nouis nominibus. res tamen ipse & ante nomina  
 sua erant & religionis ueritate firman- tur. qua & iam contra improbos defen  
 duntur; aduersus impietatem quoq; arrianorum her&icorum nouū nomen.



patres homouision condiderunt. sed non sem nouam tali nomine signauerunt. hoc enim uocatur homouision. quod est. ego & pater unum sumus. unus uidelicet eiusdemque substantiae; nam si omnis nouitas profana esset. nec ad dno diceretur. mandatum nouum do uobis. nec testamentum appellaretur nouum. nec cantaretur. <sup>in</sup> uniuersa terra canticum nouum. sed profanae sunt uerborum nouitates. ubi dicit mulier insipiens & audax. panes occultos libenter attingite & aquae furtivae dulcedinem. ab hac pollicitatione falsae scientiae prohibet & iam illo loco apostolus. ubi dicit. O timothee depositum custodi. deuitans profanas uocum nouitates & contradictiones falsi nominis scientiae. quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. nihil enim sic amant isti quam scientiam promittere. & fidem rerum uerarum quasi credere paruuli praecipiantur. uelut imperitia deridere. Dicet aliquis. nihilne spirituales uiri habent indoctrina quod carnalibus taceant & spiritualibus eloquantur. si respondero. non habent. continuo mihi dicetur ex epistola ad corinthios apostoli pauli. Non potui uobis loqui quasi spiritualibus. sed quasi carnalibus. quasi paruulis in xpo lac uobis potum dedi non escam. nondum enim poteratis sed nec adhuc quidem potestis. adhuc enim estis carnales. & illud. sapientiam loquimur inter perfectos. & illud. spiritualibus spiritualia comparantes. animalis autem homo non percipit quae sunt sps di. stultitia est enim illi. hoc totum quale sit. neruisus propter haec uerba apostoli profanis uocum nouitatibus secrete quaerantur & ea quae debet castorum sps corpusque uitae. dicatur carnales sustinere non posse. sermone alio si dñs donauerit. disputandum est ut iam istum aliquando claudamus.

**INCIPIT SERMO XCVIII DE EADEM RE**

**E**x uerbis dñi nostri ubi dicit. Adhuc multa habeo uobis dicere sed non potestis portare modo. exhortam difficilem quaestionem me recolo distulisse. ut de spatio tractaretur. quia illum modus compellens compellebat finire sermonem. Nunc ergo quoniam tempus est promissa reddendi. per tractetur ut dñs ipse donauerit. qui cordi nostro ut proponeretur ingressus; haec est autem quaestio. utrum spirituales homines habeant aliquid indoctrina quod carnalibus taceant & spiritualibus dicant. quia si dixerimus. non habent. respondebitur nobis; quid est ergo quod dicebat apostolus scribens ad corinthios. Non potui uobis loqui quasi spiritualibus sed quasi carnalibus. quasi paruulis in xpo lac uobis potum dedi non escam. Nondum enim poteratis sed nec adhuc quidem potestis. adhuc enim estis carnales. si autem dixerimus. habent. timendum & cauendum est. ne sub hac occasione in occultis nefaria doceantur. & spiritualium nomine uelut